104

ODE GRATULABUNDA,

QUA

VIRIS MAGNIFICIS,

Nobilitate generis, munerum meritorumqve amplitudine & eruditionis laude maxime conspicuis,

DOMINO

IOANNI GOTHOFREDO ROESNERO,

Burggrabio Regio, Prae-Consuli, Praesidi ac Scholarchae primario in Civitate Regia Thoruniensi,

ut et,

DOMINO

IOANNI BAUMGARTIO,

Consuli Seniori, & Scholarchae in patria Civitate,

Domino in Lipnick,

LITERARUM PATRONIS,

Onomasma suum perauspicato & solenni ritu d. IIX. Kal. Iul. CIↃ IↃCCVII, celebrantibus,

pia nuncupat vota & observantiam profitetur,

M. P. IAENICHIUS, Rect. & P.P.

THORUNII,

Imprimebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.

SVavi qvidem nunc omnia lumine
O Phoebe, Lux mundi, reficis tuo,
Agros & hortos multiformi
Condecoras facie roſarum.

At gratior nunqvam radius fuit
Nobis, nec unqvam tempora vidimus
His laetiora, almis benignus
Qvae *DEUS* auſpiciis reducit.

Hic eſt dies, *PATRES VENERABI-*
Vati ſacer, qvem Gratia coelica (*LES*,
Deſignat. Et Vos aemulante
Nomine gaudia ſuſtinetis.

Qvare, Camoenae, non tumulabitur
Oblivioſo forte ſilentio
Dies. Date aris liba ſacris
Plurima adorea miſta melle.

Aſtricta juſtis carmina legibus
Laudesqve nunc veſtris Ducibus date.
Plectro ſonanti concinentûm
Accumulate precum tributa.

ROES-

ROESNERE, magnum Thorunii Decus,
Ornatus es nunc munere triplici,
Tua geris virtute magnos
Insolitos solitosqve honores.

Non usitatis ingenii bonis
Excellis, & rarissima Coelites
Tibi locaverunt faventes
Munera, dant cumulantqve semper.

Non usitatis crescis honoribus,
Exaggeratis auctibus it Decus,
Et triplicata luce virtus,
Fulta suis meritis, renidet.

Sic publicae Tu praesidium tuum
Praestas saluti, Tu patriam regis
Virtute, succurrisqve rebus
Pieridum, graviterqve firmas.

Nec charta, *BAUMGARTI*, capit inclutas
Laudes, qvibus tu cognitus omnibus.
Cernunt Clientes aestimantqve
Consilium ingeniumqve praestans.

Tu nexuisti foedere splendido,
Qvid Musa qvid tandem sapiens potest.
Qvas dant dapes doctas Latini,
Aut aliunde Sophi, tueris.

Fulcis

Fulcit Minervam: Proſpicit incluta
Sic cura, *BAUMGARTI*, tua, publicae
Momenta deſint ne ſaluti,
Neve tuis noceant maligna.

Adeſt vocatus Caſtalidum chorus
Et vota fundit debita: Qvi regis
Orbem potens, concede vitam
Et bona, qvi patriam gubernant.

Umbone ſancto pelle moleſtias,
Omnes conatus numine ſubleva.
Da candidas felicitates,
Laetitiam patriae perennem.

Ut cura tangit fervida civium
Vos & Scholae, ſic tum populi ſalus
Veſtro fluat tum literata
Floreat auxilio caterva.